

QV. 249

25

(X2045487)



RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS

ad exeqvias

VIRI

Nobilis, Amplissimi & Consultissimi

DN. PAULI HORNICÆI,

Senioris, J. U. D. præcellentissimi & Con-
sulentis famigeratissimi

post auditam I. pomerid,

Cives Academicos

invitat,

Vita Hornicæi





AD senectutem non incon-
gruè potest aptari, quod in trito circumfertur
proverbio:

Commoditas quævis sua fert incommoda secum.

*Eth. l. 6.
c. 11.*

In senibus esse prudentiam experientiâ multa compara-
tam, ut & auctoritatem, non eruditæ duntaxat nationis
calculo stabiliri potest, sed & ipse dies nos docet. Ὁμια
τῆς ἐμπειρίας, i. e. oculus experientiæ, quam πολλὴ μνή-
μω esse dicit, senibus adscribit Philotofus, ipsorumq;
pronunciatis in vita communi, ut axiomatibus univer-
salibus, fidem habendam esse dicit. Unde dicteria:
Consilia senum, hastæ juvenum. In senibus est con-
siliium. Veterem sustinent historiam, quibus verba da-
re difficile est.

Nomen & ætatis mite Senatus habet.

*Eth. l. 9.
c. 2.*

Prudentiam sequitur auctoritas, quod ipsorum conspe-
ctum vix sustinere queant juvenes, & ut Patres, nisi ma-
læ mentes, mali animi, eosdem revereantur. Quam ob
causam περικλισίαν, ὑπανάστασιν, κατάκλισιν in via compe-
tere senibus, dicit Philosophus. Et hinc nata dicteria:
Plus valet umbra senis, quàm gladius juvenis. Cano
capiti assurgendum.

Magna fuit quondam capitis reverentia cani,

Inq, suo precio ruga senilis erat.

Verum enim verò commoditates hæc nexu indivulso
sua comitantur incommoda, cum, quantum viribus a-
nimi, prudentiâ & auctoritate (addo etiam multoties di-
gnita-

gnitatibus & opibus) senes crescunt, tantum viribus
 corporis decrecant. Deficientibus sensim spiritibus
 animalibus, sensus omnes hebescent, nec aures, nec ocu-
 li, nec lingua suum amplius faciunt officium, funiculus
 argenteus arefcit, sustentacula labant, & ad tabernaculi
 terrestris dissolutionem omnia spectant. Quæ ratio est,
 cum sui destructionem juniores horreant, senes vitæ
 pertæsi non nisi beatam analyfin metam votorum suo-
 rum ponant. Rebus etiam terrenis fluxis & caducis
 facilius renunciant, cum sui similem, ex lumbis suis e-
 gressum, quantum ad indolem, studia, mores, dignita-
 tem & statum post se relinqvunt. Non enim huic mundo
 tunc exenti, sed in imagine sui rebus humanis interesse
 adhuc videntur. In censum ejusmodi senum Virum
 Nobilem, Amplissimum & Consultissimum Dn. PAULUM
 HORNICÆUM, Seniore, J. U. Doctorem nomi-
 natisimum & per annos quinquaginta circiter Consu-
 lentem dexterrimum, cui pomeridianis horis justa per-
 solvenda, collocamus. Quippe qui, cum octogenario
 non multo minor impensum vitæ pensum absolverit, li-
 cet viribus corporis tandem decrevisset, maturrimo ta-
 men judicio suo, consiliis examusfitatis & experienciâ
 multo rerum usu comparatâ clientum causas oravit, bo-
 noq; publico in foro pragmatico ultra septuagesimum
 ætatis annum velificatus fuit, oraculi vice habitus, & eo
 in primis nomine felix, quod Filium unicum non tan-
 tum cognominem, sed & studiis, moribus, dignitate ac
 statu parem, quin & futurum majorem, Virum Nobilis-
 simum, Amplissimum & Consultissimum Dn. PAULUM
 HORNICÆUM, juniorem præcellentissimum & Con-
 sulentem famigeratissimum propter insignia & rara, qui-
 bus divinitus pollet, ingenii dona, per fidelem

) (2

ρω 718

puerum à teneris magis exculca non nisi summis destina-
tum hæredem famæ & existimationis relinqvat. Huic
Optimo & desideratissimo Viro cum pomeridianis ho-
ris eundæ sint exeqviæ, supremum humanitatis officiũ
eidem persoluturi *τὴν ὀδὸν τῆς αἰωνίας* ad terminum, præter-
quam quod paululum adhuc deficit, Mosaicum ultimum
protractam *ὡς ἐν συνόψει* delineabimus, & exemplum
posteritati proponemus. Vagitus ipsius primos ex-
cepit Cygnæa superioris seculi anno 84to, sexto Cal.
Octobris, ubi Parentibus honoratissimis & Patri qui-
dem Viro Prudentissimo, multoq; rerum usu spectatis-
simo Dn. PAULO HORNICÆO, Senatori & Camera-
rio Reip. oppidanæ meritisimo, Matri Fœminarum ele-
gantium oculo MARIÆ, Dn. ABRAHAMI MÜGLERI,
ex antiqva ibidem stirpe Civis, filiæ vitam tulit acceptã.
Post ictum cum DEO foedus baptismale, postquam bo-
næ mentis igniculi certatim emicuisent, Musis conse-
cratus & scholæ patriæ tunc florentissimæ portio factus
studiorum suorum fundamenta, in lingvis præsertim &
artibus Logicis, solida jecit. Favoꝛe post obitum Do-
mini Parentis, quem annus seculi superioris 92dus vidit,
agnati Dn. PETRI HORNICÆI, scholæ tum temporis
Rectoris sublevatus fuit, qui nihil intermisit eorum, qui-
bus ad præfixam metam *ἡ μανὰ ἐπιπέμει* noster pertingere
posset. Venit itaq; in hanc Academiam nave probè
faburratâ, ut studiis altioribus sese committere posset,
anno currentis seculi septimo, cui cum temporis aliquid
dedisset, vicinam Leucoream accessit ad pedes Dn. Phi-
losophorum satis celebrium, utpote Dn. M. JACOBI
MARTINI, tunc Professoris Logici, tandem S. S. Th.
Doctoris & Professoris meritisimi (qui Doctoratus in-
signia eodem cum Beatissimo nostro die fuit adeptus)
ut

ut & aliorum, quod manuscripta ipsius & Collegia tum
lectoria, tum disputatoria docent, ἀπεῖξ sedens. Post
exactum in Academia Lipsiensi & Wittebergenſi bien-
nium studio Juris se totum mancipavit, ab ore Dn. Pro-
fessorum D. VALENTINI GVILIELMI FÖRSTERI,
BARTHOLOMÆI REUSNERI, LUCÆ BECKMANNI
& WOLFFGANGI HIRSCHBACHII totus pendens,
& ex ipsorum informatione publicâ eruditioni suæ in-
dies adjiciens. Sedulitatis hujus testes, quæ consigna-
ta reliquit ἀποχρεῖ, lectionum volumina, si opus esset,
vocare possemus. Intra privatos, verò parietes Da-
duchos secutus fuit Dn. D. TIBURTIVM RÜCHELIUM,
& Dn. D. ALEXANDRUM FABRUM, sub cujus præsi-
dio disputationem de fidejussoribus anno 1611. cum
Præceptorum applausu habuit. Quantumvis autem
propter serpens ibidem contagium pestis locum mutare,
suasq; Musas in pagum Merschitz ad Albim situm (ubi
adolescenti nobilissimo JOHANNI CHRISTOPHORO
de PISTORIS per anni plus minus dodrantem ab in-
spectione morum & informatione fuit) transferre coge-
retur, anno tamen sequenti izmo Wittebergam repetiit,
& Ephorus duobus adhuc adolescentibus nobili loco
natis CHRISTOPHORO à Grünberg & GEORGIO
von der Bechte additus viam, quam ingressus erat, acri-
ter institit. Manuductionem quippe Juris Consulti Præ-
clarissimi Dn. D. HELFRICI ILLRICI HUNNII secu-
tus Collegio Treutleriano super digesta nomen dedit,
illudq; disputando ad umbilicum perduxit, & sub eju-
sdem præsidio materiam de modis & causis amittendi
feudum disputando ventilandam proposuit. Quia verò
in scholis jura deglutiri, sed in foro pragmatico in succū
& sanguinem coacti noverat, ut à prædicto Viro Con-

sultissimo D. L U C A B E C K M A N N O, P. P. cujus & & fuit, in praxi colorem ex conversatione quotidiana duceret, id operam dedit, nec obscurum, quæ bonitas ingenii erat, duxit. Postquam verò diem suum obierat, cum quo peregrè abire constituerat, J O H A N N E S C H R I S T O P H O R U S de P I S T O R I S, superveniente Matris etiam discessu, Haynæ causarum patrocinia suscipere, fortunæq; vadum in aula Elector. Saxonica & Brandenburgica tentare cœpit. Quæsitum invenit, cum tantâ dexteritate magnorum Virorum causas egit, ut ad famam nominis haut exiguam brevi proflueret. Exigente sic rerum suarum statu, præmissis præmittendis, piis precibus & amicorum consiliis, de contubernali, sortis utriusq; focia, vitæ adjutori, deinceps fuit sollicitus, quam etiam hîc Lipsiæ, Virginem sc. tum temporis florentissimam, omni virtutum muliebrium laude cumulatissimam M A G D A L E N A M, Dn. H E I N R I C I A R Y S S E L, Senioris, Mercatoris famigeratissimi ex Brabantia propter Evangelicæ veritatis confessionem in has terras delati filiam, singulari divini numinis dispositione invenit, cui Matris & cognatorum consensu labentis seculi anno 19no die Johannis Baptistæ per sponsalia publica, mense Octobri decurrente per benedictionem Ecclesiasticam Conjux fuit additus. Ut verò studiis suis juridicis aliàs vendibilibus hederam præfigeret, vel testimonio publico eadem muniret, gradum Doctoris in utroq; jure decenter ambivit, quem etiam, habitâ prius sub præsidio Magnifici, Nobilissimi & Consultissimi Viri Dn. C O N R A D I C A R P Z O V I I, scti celeberrimi disputatione inaugurali pro Licentia, de remediis & auxiliis adversus nullitatem sententiarum, unâ cum tribus Theologiæ, duobus utriusq; Juris Doctorib. Dn. D. C H R I S T I A N O L E N T Z I O, Con-

Consiliario Elector. Saxonico & Dn. D. H E I N R I C O
Schaffhausen votivis bonorum omnium accentibus an-
no seculi hujus 23mo, mense Oct. obtinuit. Honoribus
hisce ut spectatrix interfuit jugalis optima, sic jacturam
hujus sui præsidii & coronæ, sub qua per annos prope-
modum 43. suaviter ac secure inter amoris reciproci
contentiones vixit, eò fert acerbius. Durante matrimo-
nio 10. liberorum (ex quibus etiam 10. nepotes ac neptes
prodierunt) 4. masculorum, 6. fœmellarum, de quibus
tres potioris, tres seqvioris sexus ad æterna gaudia du-
dum præmisit, Parens evasit. Filiam natu majorem MA-
RIAM MAGDALENAM anno 41. hujus seculi, mense
Februario primùm Dn. D A V I D I A U E R B A C H I O, S. S.
Th. Doctore nominatissimo, Pastori & Superintendenti
Bornensi meritissimo, & post hujus obitum Dn. JOHAN-
NI ADAMO PUCHNERO, Mercatori Plaviensi, ex cu-
jus matrimonio priore unum nepotem, duas neptes, ex
posteriore itidem unum nepotem, duas neptes vidit, qui-
bus Domino avo superstibus fons omnis bonitatis &
indulgentiæ ex alto benedicat, elocavit. Quãto v. gaudio
τὸν μακαρίτων perfuderit Filius exoptatissimus, de quo supra
cum honoris præfatione injecimus, ejusdem nominis, Itudiorum
& dignitatis Dn. PAULUS HORNICEUS junior, qui anno 49.
Magisterii, ex peregrinatione redux anno 55. Licentiæ & anno
seqq. 56. Doctoris in utroq; jure gradum summa cum laude con-
secutus, anno verò præterlapso, mense Aprili Virgini omni
bonorum genere affluentem SUSANNE, Dn. JOHANNIS FRI-
DERICI SCHRÖTERI, primæ cavæ Mercatoris filię *οὐζυγῶ*
fuit additus, cujus tantum ingenii flumen est, tantum affectus pa-
terni scrutinium, quod dicendo vel leviter exprimere valeat?
Filia natu minima DOROTHEA consensu Parentum anno 57.
mense Sept. Domino JOHANNI CHRISTOPHORO BRUNO-
NI, in Rembsdorff hæreditario, ex quo neptibus quatuor ad u-
nam usq; defunctis (cujus educationi divina gratia largiter ad-
spiret) *τὸν ἐν Ὁφμια* nostrum avum fecit, collateralis cessit.

Cate-

26 7650 PK
Ceterum unicum istud necessarium summæ sibi curæ cordi quæ
esse sivit, & proinde ad pedes Salvatoris sui, quantum quidem
vocationis operibus succidit, ἀπεπαύσας fedit, in verbo suo al-
loquenti & in organis suis docenti vacivas aurium ædes nunquam
non præbuit, fidei titubanti ex usu sacrae synaxeos frequentiori
fulcimenta quæ sivit, lucem suam per opera charitatis in die pan-
tocrítico aliquando producenda tanquam signa foras emisit, ex-
emplo pietatis domesticis præluxit, in foro pragmatico castè
semper versatus fuit, & causas Clientum fide, quæ decet, tracta-
vit, consilio & auxilio proximum opis indigum καὶ δουλεύων
sublevavit. Quod si etiam vitæ privatæ commoda & libertatem
inæstimabilem compedibus aureis non prætulisset, ad summa
munera evehi potuisset. Christianorum tesserâ, bellicis præci-
puè temporibus, & calamitatibus publicis ingruentibus, post-
quam sedem fortunarum anno 28. Haynâ Lipsiam transtulerat,
ut & suorum præcipiti fato, & de quibus non meruerat, inviden-
tiâ, insigniri non detrectavit. Acerbitatem tamen ærumnarum &
adversitatû injecto crucis ligno velut in aquas amaras edulcavit.
Cum senectus ipsa sit morbus, septuagenario major Clientû cau-
sas Filio Dn. D. PAULO Juniori commisit, ipsiq; lampada tradidit,
quod v. ad fatalem horam superfuit temporis meditationi beatæ
analyseως dedit. Quare salutando familias utriusq; filia Lipsiâ &
fori Itreptu cessit, annisq; proximis in agro vicino, prædio sc.
Damsdorff/maximam partem egit, ubi successivum virium deli-
quium sentiens & lipothymiis crebris, sæpius etiam diu protractis,
infestatus ad emigrationem beatam ex corporis hujus pistrino
precibus, auditu verbi divini, quantum quidem per vires corporis
integrû fuit, & usu sacri viatici, ut etiam ante spacium abhinc mē-
struum circiter factum, se præparavit. Vinculis corporeis & omnib.
hujus vitæ miseris vivis à Dn. Pastore loci erectus solatiis, cum per
semestre ferè lecto jacuisset affixus, proximis Cal. Maj. septuage-
nario major septennio cum dimidio ferè per placidam διχοτομίαν
fuit solutus, cœloq; transcriptus.

Vivit adhuc P A U L U S, qui mortuus, H O R N I C Æ U S

Vivat & in Nato, suffice C H R I S T E, diu.

Exuvias, Sp. S. domicilium, post auditam I. pom. spe lætæ resurre-
ctionis apud comunē Matrem deponemus, nostrosq; ut exequiis
frequentes intersint, & συμπάθειαν erga familiā honoratissimā de-
clarent, his ipsis jubemus. P. P. ipsis Non. Maj. A. Æ. Chr. M DCLXII.

QK. 249

25

(X204)

RECT ACADEMIÆ LI

ad exequias

V I R

Nobilis, Amplissimi &

DN. PAULI HO

Senioris, J. U. D. præcell
sulentis famigera

post auditam I. p

Cives Academ

invitat,

Vita

